QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. MARTII,

M. IACOBO PERRELLO, Doctore Medico, Moderatore.

Estne Victus tenuis, & exquisitus, in sanis, paulo pleniore, periculosior? 816

VITA hominis sine alimento, vt nec sine respiratione superstes esse non potest; Nulla ἄλιμα & ἄδιψα pharmaca, vltra septem dies incolumem seruare possunt. Venter exinde non amplius suscipit, ieiunum intestinum in his diebus συμφύει, moriunturque illi. Fabulosum est Heraclidis medicamentum triginta dies seruasse mulieris corpus ἄπνουν & ἄσιτον. Vt perennis fit triplicis nostræ substantiæ effluxus; sic continua debet esse jacturæ reparatio alimento simili, dulci. Non nutrimur odoribus; non igne, aëre, aqua, terra; sed ex his mixto, maximè verò aqua & terra. Natura ideo insevit animantibus cibi potúsque desiderium; illud fames est, calidi & sicci appetitus; hoc sitis, frigidi & humidi. Caue credas τὸ θερμὸν ἀποκλείειν ἡμᾶς ὃ παρ' ἔφυσε τὰ σώματα. Mirus ille naturæ ignis artificialis, ex semine aëreo igneo, & sanguine aqueo terreo, generationis nostræ primordijs, ortum ducens, elemento stellarum proportione respondens, semper nutrit, auget, perficit. Sex rerum non naturalium actione in nos perpetua, maximè verò ambientis furto, siccitas inducitur, senectus (quæ morbus quidam est) οὐκ ἐργοφύσιος, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενον, procuratur, mors denique ipsa nullomodo naturalis, nec sine molestia, tantum abest vt cum voluptate sit; cuius necessitatem experimento atque inductione tantum cognosci, non autem demonstrari posse falsum est.

NISI tale ac tantum suppeditetur alimentum, quale & quantum in auras effluxit, vires infringi necesse est, corpus exolui, languere, & sensim incidere in marasmum simplicem φθορὰν ἐπὶ ξηρότητι, trium generis viuentium proprium affectum; totius corporis in animalibus, corde omnium partium principe, pabuli inopia ex necessitate siccescente; singularum etiam partium in plantis: Hinc continuò compositus subsequitur marcor; frigidus quidem, partibus calido sanguinis succo defraudatis; calidus verò membrorum calore, in biliosis potissimum acriore reddito; vnde febres his acerrimæ & acutissimæ, quæ facile in hecticas (quarum calor reliquis maior) degenerant; tandemque in marasmum περιφρυγῆ, nisi balneo & potione frigidæ calorem extinguere contendamus, vel cum periculo transferendi in contrarium affectum; vnde senium ex morbo incurabile, vt & ipsa senectus, cuius tamen celeritas retardari potest. Inter humectantia, molle cubile, somnus, maximè verò alimentum, quod nutriendorum corporum pars efficitur.

VIVENDI ratio, vel est mediocris, quæ per alimenta fit moderata & parum nutrientia; vel plena, quæ huic aliquid addit; vel tenuis, quæ detrahit. Non satis accuratè faciunt, qui has exemplis definiunt: moderatus non potest esse idem omnibus cibus, vt neque immoderatus: Qui vni tenuis, plenus erit alteri: Non est vnica omnium communis natura, neque temperati sunt nisi perpauci hominum, fortasse nulli. Melius ab effectibus determinantur, vt moderatus sit qui vires molemque corporis conseruat, plenus qui auget, tenuis qui minuit, plùs aut minùs, habita ratione consuetudinis, temporis, regionis, & ætatis. Consueta etsi deteriora minùs nocent. Qui prandere non consueuerunt & prandent, statim ægre habent, toto corpore graues, & parum valentes, ac desides: Quod si supercœnauerint, acidum ructant, alios vero alui læuitas excercet; nempe ventriculus præter consuetudinem grauatur, supersiccescere consuetus, non bis tumescere, neque bis cibos coquere. Ventres Hyeme & Vere natura calidissimi, & somni longissimi, ideóque tunc copiosiore alimento opus est, vt & pueris, qui plurimo abundant calido innato: Senes faciliùs jeiunium ferunt, secundò loco consistentes, minus adolescentes, omnium minimè pueri, maximè verò alacriores.

DIÆTA in sanis, & in ægris omninò contraria est. In his quidem vires minuimus, aut saltem conseruamus; & quò validiores, minùs nutritioni incumbimus, aliquando etiam omninò alimentum subtrahimus, non tamen sine periculo. Cibus febricitantibus morbus; impura siquidem corpora quò magis nutries eò magis lædes. In sanis verò perpetuò augere intendimus, & quo vegetior calor, plus alimenti concedendum. Apage Medicos qui tenuem victum illis aut mediocrem præscribunt, quo natura vilescit, ventriculus debilitatur, cor dolet, corpus genio defraudatur, timidum & pigrum redditur ad quoduis opus. Videtur ipsa nos eò ducere, vt liberalius nutriamur: Frustra alioquin prudens & prouida, à nullo licet edocta, & in nostram potiùs perniciem, impetum ad plures cibos indidisset, atque instrumenta ijs recipiendis tradidisset. Cibus semper quamplurimus capiendus, dummodo coquatur. Prestat bis die, quam semel, hac præsertim nostra ætate, & regione, qua, ter aut quater repleri nihil mali, idque in cœna magis. Non prandentium, & eorum qui nimia se abstinentia & sobrietate macerant, exta celerius senescunt: Extenuat & exsiccat μονοσιτίη, incrementum impedit, febresque facit, biliosis potissimum: Si qua tamen tempestate, verna minùs officit valetudini ieiunium, imò plerisque sanitatis est causa: Æstate & autumno cibos difficilius ferunt, hyeme facile, vere secundo loco.

QVI constituto atque exquisito victu vtuntur, nisi in summa quiete, procul negotiis se contineant, & in eodem tenore, ostrearum aut stirpis instar semper degant, facile & grauiter vel leuissimis erroribus offenduntur. Iis quidem qui sanitatem querulam habent, in hoc eousque permanendum, quovsque ad robustam peruenerint: At sanus homo nullis se legibus obligare debet. Hunc oportet varium habere vitæ genus, nullumque fugere quo populus vtatur: Morbus quidam est, crede mihi, per sapientiam mori. Cauendum tamen ab extremis: Vt summæ inanitiones, sic summæ repletiones fugiendæ, quibus corpus excrementis oneratur, & periculosissimè ægrotat. Quemadmodum florum odoramenta per se sunt parùm efficacia, si verò oleo admisceantur vehementiora; sic morbi si humorum non adsit abundantia, facilè euanescunt: Corpora humore vacua, suberis in morem ob leuitatem sursum emergunt, & nauis instar quam grauis mercimoniorum sarcina non premit, in sublime feruntur, atque tempestatem euadunt. In omnibus mediocritas seruanda, vnius naturæ ductu & consilio in bene[illegible]s conijcienda: Optima tantum appetit, quantum concoquit: Quicumque tamen committitur error, maior in tenui quàm in paulo pleniore.

Est ergo Victus tenuis, & exquisitus, in sanis, paulo pleniore periculosior?

 263

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS CAPPON, Parisinus. A.R.S.H. M. DC. XXXV.